



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Imago Primi Saecvli Societatis Iesv

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1640

Oratio Tertia. De caussâ capitalis odij quo Societatem Iesv hæretici
prosequuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97844](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97844)

terminos animis transgressi, etiam vitæ suæ iam deficienti inscripserunt, *Plus ultra*. Eorum, inquam, qui sub Zonâ torridâ, in Indicis illis arenis, ubi mortales auro magis accenduntur quàm æstu, nullius rei quàm animarum cupiditate flagrarunt. eorum denique qui ad cælestis Regis aulam crucibus, equuleis, catastis sibi gradus fecerunt, & in pompam triumphi verterunt instrumenta martyrij: horum, inquam, purpuram venerabundus exofculor atque deprædico. Quæ si mediocria, si vîitata, si quotidiana sunt; nihil habeo quod commendem: sin verò singularia, si inusitata, si tam procul à communi laude fortitudinis & vulgari constantiâ quàm ab orbe nostro distita; laudentur sanè hæc à nobis tam propensis animis, quàm illi generosis tormenta sustinuerunt, & virtutem illam digniorem pulpito quàm equuleo, perpetuis consecremus honoribus. Cumquæ eorum ne necessaria quidem expectata sit mors, quorum vita debuisset esse immortalis; viuant saltem posthac sacris in imaginibus, viuant humanis in laudibus, viuant diuinis in honoribus, viuant sæculorum omnium memoriâ sempiternâ: sed vel maximè viuant in nostris vestigiis, ne, vt illis gloriosum fuit tantam nobis virtutum suarum ac meritorum hereditatem suo sanguine consignatam relinquare, ita nobis contumeliosum sit eam inertiâ nostrâ prodigere. Pudeat nos, inter tot Sociorum vulnera, nullam posse cicatricem exhibere. O beatos pugiles! qui crucibus affixi, aquis submersi, ignibus combusti, non suam luxerunt pœnam, sed gauisi sunt de præmio: qui resectis capitibus habere cœperint vbi coronari possent: qui omnium pedibus obruti, ac tyrannorum suppliciis excarnificati, omni Regum purpurâ nobiliorem triumphum sunt consecuti.

*Adhor-
ratio vt
imitemur
Martyres.*

ORATIO TERTIA.

*De causâ capitalis odij quo Societatem IESV heretici
prosequuntur.*

SI quis miratur, Auditores, quid causæ sit cur nostræ ætatis heretici implacabili planè odio à Societate IESV dissideant; mirari certè is desinet, si vtrorumque pugnantes inter se indolem, omnemque vitæ rationem toto, vt sic dicam, cælo disiunctam esse meminerit; maiusque inter eos esse discrimen Religionis & Fidei, quàm morum atque institutorum Iaponios inter & Europæos; vt qui non pedibus tantum, sed ingeniis etiam orbi nostro oppositi esse videantur. Operæ pretium est hunc pugnantium inter se morum atque iudiciorum typum; eiusque quod mihi propositum est certaminis adumbratam imaginem, paulisper intueri. Iapones, teste Maffcio, epulas nostras, nos vicissim illorum condimenta aspernamur. Aquam nos gelidam, illi calefactam ætate pariter & hieme potant. Nobis gemmea aureaque, illis fictilia terreaque vasa in honore sunt. Iam in curationibus corporum, nos agris dulcia & tenerè cocta; illi falsa ac penitus cruda; nos altitia, illi conchyliia apponunt. Pharmacia nos fermè olidis & amaris, illi perquam suauibus & odoratis vtuntur. Illi è coloribus lætum ac festiuum æsti-

*Maffcius
Hist. Ind.
libr. 12.*

*Franc. Garaf.
Doct. curios.
l. 2. sect. 11.*

*Iaponum
mores no-
stris con-
trarij.*

mant nigrum, albus illis in funere ac luctu est. quæ à communi Europæorum sententiâ, vsuque nostro longissimè absunt. Nobis dentium in candore, ipsis in nigredine est decor: quare atro quodam pigmento eos identidem inficiunt. Illi somnum capiunt subiecto cervicibus lapide vel tigillo, nos molle tomentum aut puluinar adhibemus. Illis aperto capite in sole pariter ac pluuiâ vterque sexus incedit, quod apud nos vitatur vel maximè. Illi foris absque pallio, domi verò ambulans chlamydati; nos contrâ facimus. Equum nos à læuâ, illi à dexterâ confcendunt. Inter salutandum nos caput, illi crepidarum leui excussu pedes detegunt. Aduenienti amico nos assurgimus, illi subsidunt. Plura eiusmodi prætereo, ne ad viuum cuncta rescere videar. Enimverò quàm vehementer in viuendi ratione ac lege Iaponij à nostrâ consuetudine abhorrent, tam è diametro hæretici omnes ab vniuersâ Societate dissentiunt. Hæc origo diffidorum, hic fons est omnis malevolentia. Ceterum hac in parte diuinæ Prouidentia consilia licet admirari, quæ valdè opportunè hac ætate nostrâ huius Ordinis Christianam militiam perditorum hominum istorum furori atque amentia opposuit. Hanc ego diuersitatem ingensque discrimen inter vtrosque dum vario ex capite breuiter ostendo; non minùs æquos iudices vos fore confido, quàm beneuolos Auditores.

*Doctores
noui Eu-
angelij:*

Adiunxerunt sese Luthero, posteaquàm ille Deo ac Religioni perfidus, pristinae Fidei castra deseruit, continuò petulci è triuio Magistelli, procaces Grammatici, discincti Poëtæ, leues Græculi, ebrij Oratores, nescio qui Philosophastri atque Philologi: horum exempla secuta est è Reip. fæce grex futurorum, tinctorum, lanionum atque rectorum. Quid deinde etiam? Vt nihil ad summam impietatem, nihil ad extremam dementia deesset, confluxere vndique facinorosissimi homines, ignominia celebres, Iudicium sententiis dammati, publicæque infamiae signis inusti: inde verò profiliere prostituti pudoris ac pudicitia mulieres; quæ, velut istius Academiae Eximia Domina ac Magistra nostræ, in suggestum, in exedras, in sacra pulpita proruperunt. Tales fuere præclari instauranda Ecclesiae architecti, & si inferis placet, quinti Euangelij buccinatores. Tum verò perditissimus hominum cæcus tali duce conflatus, illicò Orthodoxam Ecclesiam, illiusque legitimum Caput aspernari, vtriusque sacrosanctam auctoritatem, ætatum omnium & nationum & ordinum perpetuâ consensione stabilitam, conuellere, sanctissimorum oracula Pontificum pedibus conculcare, grauisissima Concilia etiam Oecumenica spernere, sacramque Paginam aut mutilare aut illegitimâ interpretatione conspurcare, ritus sacros profanare, Sacramenta polluere, sacras aras euertere, templa incendere, omnia deniq; humana ac diuina conculcare. Nec factis minùs abominanda commenti sunt dogmata, quibus omnem probitatem ac virtutem, omnem pietatem ac Religionem è vitâ proscriberent: nullo iure ac legibus Christianam libertatem adstringi: credentibus nulla flagitia nocere: bonorum operum merita id esse coram Deo, quod Veneri donatas à virgine pupas: castitatis votum stultam esse temeritatem: Deum scelus omne flagitiumque designare, & ad ea homines fatali quadam necessitate impellere.

*Fontan.
lib. 5.*

*sanam do-
ctrinam
prescri-
bunt:*

*Sander. lib. 7
de Vif. Mo-
narch.*

*Lindan. in
Exhort. ad
Holl. c. 12.*

*insanam
inuehunt:*

pellere. Plura recensere perhorresco. Quis in rupibus natus Geta, aut quis è quercu excisus Arcas, tam sui est immemor, vt eiusmodi opinionum portenta vel cogitare audeat, qualia illi non solum bipedum, sed omnium quadrupedum nequissimi publicè sunt professi? Quis nunc eorum vitam omni legum vinculo solutam esse criminetur? ego vel maximè doctrinæ quam tradunt adstrictam & consonam esse contendo. Nolo hanc scelerum flagitiorumque faciem exhaurire: in vnicam libidinem, & quidem strictim, digitum intendō. Præluxit omnibus in hoc genere sacrilegam faciem ipse Lutherus, qui præ cibo, potu, somno necessariam omnibus venerem impudentissimo scripto persuasit; qui iugo Religionis excusso, incestis se nuptiis contaminauit. Huius Hæresiarum vestigia non pauci, diffractis votorum repagulis, omniq̃ pudore proscripto, sunt secuti. Vt verò quales fuerint isti hymenæi, crimine ab vno coniecturam faciatis: in Carolstadij inquinatissimis nuptiis (fuit is è Sacerdotibus primus, qui scorto iunctus est) inaudito facinore Missam, vt loquuntur, omni impudentiâ atque infantiâ nobilem concinnarunt: in quâ non modò sacrilegos atque fœdifragos Sacerdotes magnis laudibus extulerunt, verum etiam vt Heroas Deo plenos, ipsaq̃ mortalitate maiores, deprædicarunt. O aurea nimirum tempora, sanctiq̃ mores! ô sacrosancta noui Euangelij decreta, legesq̃ castissimæ! Ita domus Dei diuinitus instauratur? Stomachare hîc, ô Daniel, & exclama: *Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Vaticinium tuum, ô Isaia, iam impletum est: *Habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt ibi ulula in ædibus eius, & sirenes in delubris voluptatis.* Atque vtinam hic sit nequitia terminus! Enimuerò vterius effrenata nouorum Euangelicorum prorumpit audacia. Disciplinam illam suam, tamquam de cælo lapsam, non tantum canticis, rhythmis, comædiis, declamationibus, scriptis libellis, sed inaudita etiam crudelitate atque immanitate passim propagare conati sunt. Euoluite huius sæculi annales; & cum gemitu legetis, virgines castissimas, mulieres prægnantes, viros integerrimos, sanctissimarum Familiarum Religiosos, Sacerdotes Deo sacros, senes non minus virtute quàm canitie venerandos, exquisitissimis tormentis fuisse trucidatos. Nulli ætati, nulli sexui, nulli ordini parcitum est. Nec aliam sanè ob causam, quàm quòd illa nefaria opinionum portenta repudiarent, illa flagitiosissima dogmata detestarentur, & auitam Catholicæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ Fidem vitâ fortunisque suis chariorem ducerent. Nihil hîc necesse est inaudita suppliciorum genera recenseri; homines innocentissimos, Deoque consecratos, toto corpore mutilos, præcipitio elisos, viuos in terram defossos, veribus affixos, lento igne tostos, virgines constupratas ac tortorum libidini permissas. Cetera etiam libenter silentio inuoluo, quæ vel tragica Poëtarum figmenta, vel ipsam belluarum immanitatem superant. Planè vt necesse fuerit, diuinam Prouidentiam, quæ semper pro salute atque incolumitate Ecclesiæ suæ excubat, vt olim grassantibus in orbe venenis sua suppeditauit antidota, ita nouam hanc Ecclesiæ pestem nouis etiam subsidiis amoliri. Quæ olim pestes Ecclesiam infestant, quæque aduer-

viuunt,
prouident
cent:

Lib. de Vita
coniug.

Fontan. l. 8.

Daniel. 13.

Isaie 13.

doctrinam
suam crimi-
delissimè
propagant.

Claud. de
Sanctis, lib.
de Dircept.
templ.

Sander. lib. 7
de Vic. Mo-
narch.

*Hæreses
omni sa-
culo.*

*Præsidia
Ecclesie
omni ano.*

*Luthero
cum suis
opponitur
Ignatius
& Socie-
tas.*

*Greg. XIII.
Bullâ, Quan-
tâ fructuo-
siss.*

*Bullâ, Inno-
centibus.*

aduersus eas præsidia à Deo submissa fuerint, minimè obscurum est Percurrite, si placet, ætates singulas. Primâ, exstiterunt Simoniani, Cerinthiani, Philetiani: secundâ, Montanista & Gnostici: tertiâ, Manichæi & Notatiani: quartâ, Ariani & Donatistæ: quintâ, Nestoriani cum Pelagianis: sextâ, hinc Monothelitæ, inde Tritheita: septimâ, cum Mahometanis fuere Armeni: octauâ, cum Iconoclastis Albanenses: nonâ, Taurinenses & Photiani: decimâ, Anthropomorphitæ: vndecimâ, Berengariani: duodecimâ, Arnaldistæ: decimatertiâ, Albigenes: decimaquartâ, Wileffitæ & Lollardi: decimaquintâ, Lutherani & Calvinistæ. Ceterum nullo vniquam sæculo diuinam protectionem Ecclesie defuisse, historiarum monumenta fidem faciunt. Primo siquidem sæculo Simonem Petrum Simoni Mago opposuit: Ioannem Euangelistam cum Cerintho, Paulum cum Phileto commisit: secundo, Irenæum ac Papiam veræ fidei propugnatores dedit: tertio, Clementem Alexandrinum atque Cornelium Summum Antistitem: quarto, Basilium & Athanasium: quinto, Cyillum atque Augustinum: sexto, Gregorium Magnum Sikeriumque Pontifices: septimo, Maximum & Eugenium: octauo, Damascenum cum Albino: nono, Stephanum & Ionam Episcopos: decimo, Moysen Barcepham: vndecimo, Hermannum Contractum: duodecimo, Bernardum: decimotertio, Dominicum & Franciscum: decimoquarto, Durandum à Sancto Portiano & Henricum Susonem: decimoquinto, Ignatium. Cuius viri, Deus immortalis! quàm contraria heterodoxis studia moreisque exstiterunt? Non tanta Iapones inter, quorum initio memini, & Europæos morum studiorumque dissensio reperitur, quanta inter Lutheri & Caluini assecclas, & fundatam ab Ignatio Societatem. Quid, obsecro, Luthero propositum fuit, nisi Romanæ fidei extinctio, Pontificiæ auctoritatis euersio, morum corruptela, mortalium denique à CHRISTI legibus & ab omni probitate auulsio? Hæc enim per eum nequissimus dæmon (quicum familiarissimè sese egisse, disseruisse, modicum falsi comedisse gloriatur) nefariè molitus est. Contrâ verò (Pontificia verba profero, quæ publico diplomate omni posteritati commendata sunt) *finis Societatis, Fidei propagatio & defensio, animarumque in vitâ & doctrinâ Christianâ progressus. Ad quem finem Spiritus sanctus Ignatium Loiolam, ipsius Societatis institutorem, eiusque Socios excitauit: media etiam præclara maximeque opportuna eis tribuit atque confirmauit.* Ille infamis apostata ex angulis & imâ facie plebis non tantum homines illitteratos, sed impietate, sed infamivitâ, sed morum contagione notissimos, verbi Dei deprauatores, sacrarum Paginarum scedissimas harpyias, in aciem produxit. Contrâ verò quàm nobilem, quàm expeditam, manuque & linguâ promptam legionem illi opposuit Societas IESV? nempe ex luce Christiani orbis, & florentissimis Regnis viros (vt cum Pio V. loquar) *litterarum præcipuè sacrarum scientiâ, religione, vitâ exemplari, morumque sanctimoniam conspicuos, multorum religiosissimos præceptores, ac verbi diuini optimos prædicatores & interpretes producendo.* In castris heterodoxis vanissimas ac stultissimas mulierculas reperias, quæ iniuste in publicum suggestum cathedramque adrepentes, propositis palàm assertionibus, ad certamen de altissi-

altissimis Fidei mysteriis Doctores prouocent. In Societate verò adlectos ab Ignatio grauissimos Theologos, omni litteraturæ ac sapientiæ genere exultos, inuenies; quos Summi ipsi Antistites ad celeberrimum illud Christiani orbis theatrum, lectissimum, inquam, Concilij Tridentini Magistratum, delegarunt. Lutherus homo ad quidlibet audendum projectæ temeritatis, non erubuit vanum ac futile hoc vaticinium propalare:

Pestis eram uiuus, moriens tua mors ero Papa.

& verò nullam non machinam ad euertendam Pontificiam dignitatem admouit. quin inò eousque prouectus est dementiæ, vt Reges ac Principes hortaretur ad lacesendum bello Pontificem, manusque in S. R. E. Cardinalium sanguine lauandas. Quid verò Ignatius? an non omne suum studium ac suorum eò contulit, vt supremam in terris Pontificiam dignitatem ab hæreticorum calumniis, sophismatibus, machinationibus vindicaret? nōne eiusdem obedientiam toto orbe Christiano asseruit? nōne Professos suos peculiari voti religione Summo Christi Vicario ad arduas quasque missiones obnoxios esse voluit? vt nihil mirum sit, Clementem VIII. sapientissimum Pontificem Societatem dextrum brachium Apostolicæ Sedis indigitasse. Quid nunc dicam quantâ petulantia noui illi quinti Euangelij magistelli venerandam SS. Patrum canitiem conspurcarint, eorumque auctoritatem protruerint? Hanc autem semper venerata est Societas; eorumque doctrinam, tanquam hagiographis proximam, & ab ipso fonte propius emanantem, est exosculata. Porrò, contaminatissimos Nouatorum mores, vitamque flagitiis ac probris infamem, nihil attinet in propatulo constituere: satis superque eorum probra variis scriptorum monumentis sunt consignata. Societas autem (quod diuinæ gratiæ ac protectioni acceptum refert) ne sibi ipsi præconis vice fungi debeat, amplissimum Iulij III. Pontificis Maximi elogium est consecuta: cuius in publico diplomate hæc sunt verba: *Considerantes nihil quod pium sanctumque non sit, in Societate eiusque laudabilibus institutis, ac exemplari Ignatij & aliorum Sociorum vitâ & moribus reperiri.* Denique hoc egerunt Caluini & Lutheri asseclæ, vt orbem vniuersum peruersis dogmatibus & scedâ vitiorum omnium colluione contaminarent. Sed, quæ Dei bonitas est, & excubans in salutem Ecclesiæ suæ prouidentia, vltra Septentrionem & vicina quædam Regna exitiabilem illam pestem diffundere non potuerunt. At Societas genuina Euangelij semina, & mores Christianâ professione dignos, quadripartito terrarum orbe longè lateque propagauit, gentesque multitudine innumerabiles, locis infinitas, immanitate barbaras, naturâ cæcas, cultu impias, vitiis omnibus contaminatas, etiam cum præsentissimo capitis periculo à tenebris ad lucem, à feritate ad humanitatem, à miserrimâ dæmonum seruitute ad beatam libertatem filiorum Dei, ab idolorum superstitione ad veri Numinis cultum, ab omni scelere ac flagitio ad omnem probitatem virtutemque traduxit. Nihil opus hîc mihi tam amplam Societatis laudem conquistis vndique testimoniis stabilire: vnum mihi sit instar omnium, &

quidem grauissimum & maximum, Summi Ecclesiæ Præfulis Pij V.

A a a a

qui

Surius Hist.
anno 1520.

Suarez to. 4.
de Relig. l. 1.
de Inst. 50.
cietas.

Bulla, Cùm
indefessa.

Genebrard.
in Chron.

qui amplissimo suo diplomate posterorum memoriæ testatum voluit: *Societatis homines, verè mundi huius relictis illecebris, ad eò Seruatori suo se dedicasse, ut, conculcatis thesauris, non contenti terrarum finibus, usque ad Orientales & Occidentales Indias penetrauerint: ac eorum aliquos ita Domini amore fuisse perstrictos, ut etiam proprii sanguinis prodigi, martyrio voluntario se supposuerint: perque eorum spiritualia exercitia etiam Regna ipsa fidem CHRISTI agnouisse.* Satisne luculenter hæc hæctenus deducta, ut fidem adstruamus Aquensi Præfuli Gilberto, qui summo iure Ignatium Antilutherum esse pronuntiauit? Satisne animaduertitis, non magis pedibus moribusque nobis obuertos esse Iapones ceterosque Antipodes, quam huius sæculi heterodoxi Societati IESV aduersantur? Quis ergo iure mirabitur, tantam inter utrosque animorum exulcerationem auersionemque intercedere,

Lupis & agnis quanta fortitò obtigit?

Ex hoc itaque fermento, ex hac face prodeunt tot calumniæ in Societatem, tot maledicta, tot libelli famosi, tot sanguinaria edicta, tot proscriptiones, tot cruces denique ac tormenta. Sed, ô cæca maleuolentia, & inconsulta nequitia! dum Societatem conuicitis & calumniis obuere planeque conculcare se posse existimant, non vident eam tum vel maxime exornari. Quid enim Societati contingere potest gloriosius, quam si toti orbi manifestum euadat, eam à flagitiosissimis ac perditissimis hominibus implacabili odio omni que diritate vexari? quid optabilius, quam ab iis cum fastidio natuscæque despici, qui nullum veræ laudis gustum habent? Magnis interim animis estote, viri Religiosissimi, magnum vobis aduersus maleuolorum tela præsidium, magnum aduersus omnes persecutionum procellas solatium repositum est in præclarâ rectè factorum conscientia. Deinde si qua vis, si qua tempestas, si qua dimicatio incubuerit; Dei præsidio tecti, inter medios hostium cuneos illæsi consistetis. Vnus instar omnium vester vobis erit IESVS, qui hoc vnico verbo mœrorem vobis omnem absterget; *Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Sed quemadmodum ille tandem inimicis omnibus superior, eam gloriam est consecutus, quam omnis intuebitur æternitas: ita vobis aliquando ex persecutionibus, proscriptionibus, tormentis solida voluptas, ex maleuolentiæ tempestatibus tranquilla securitas, ex mendaciorum & calumniarum nubibus æternæ lucis ac dignitatis splendor emerget.

Math. 10.

ORATIO QVARTA

In Calumniam; cuius insanis clamoribus Societas sæpè insimulata est auaritia, delicatioris vitæ, ac superbia.

A suo ex-
ortu ca-
lumniis
appetita
Societas:

ET si, quodam naturæ beneficio, minima quæque paruitate suâ tuta sunt, & quemadmodum aciem oculorum, ita multò facilius omnem inuidiæ morsum ictumque subterfugiant; tamen hæc minima IESV Societas, post tot alios in Ecclesiâ clarissimos Ordines recens exorta, ne quidem illis iniuriis admodum reuibus, nec suâ illâ appellatione,